

F. LUDOVICI GRANATENSIS

Dominicani, Sac. Theol. Prof. Epistolæ Latinæ duæ in aliorum operum commendationem. Accedit præfatio, Mediolanensi ejusdem Concionum editioni præmissa, curante Joh. Bapt. Munnozio.

Joh. Bapt. Munnozius Christiano lectori S.



NIMUM induxi, Christiane lector, omnia Ludovici Granatensis opera, Latina lingua conscripta, in vulgus edere. Quod a nemine, quod sciam, factum hucusque est. Idcirco & quasdam ipsius præfationes, seu epistolæ, aliorum operibus adjectas, huic nostræ editioni adnectere, operæ pretium existimavi. Binas autem in præsentia damus: quarum primam anno ætatis suæ XXVIII. in commendationem *Quæstionum Fr. Didaci ab Astudillo, Dominicani, super VIII. libros Physicorum, & duos de Generatione*, scripsit. Curatam fuisse a Granatensi hujus operis editionem a libro quarto, illa hujus epistolæ verba, *Cujusdam desidia correctoris obtigit*, (scilicet, quod tres priores libri mendose fuerint typis exscripti) cetera enim longe castigatoria traduntur, tum & illa, *Quo sit manus hoc nostrum perfectius*, innuere videntur. Putabit fortasse aliquis, nimium Astudilli, barbari nempe Scholastici, eruditio ni ab auctore nostro tributum fuisse. Sed primum animadver sat velim, quæ fuerint illa tempora; deinde eum extitisse Didacum, qui a clarissimo Fr. Francisco a Victoria se ipso doctior, tametsi politæ Latinitatis atque elegantiæ ignarus, haberetur. (a) Ego vero, dicam quod sentio, magnam ex hujus

Aa 2 epi-

(a) Fr. Alphonsus Fernandez, in *Concertatio Prædicatoria*, pag. 347. col. 1. hæc habet: „Fr. Didacus Astudillus insigne

epistolæ lectione voluptatem cepi. Siquidem videre mihi licuit, vel illis temporibus, quum tanta bonæ Philosophiæ ignoratio fuit, Scholasticæ vitia Granatensem agnovisse; eoque nomine Astudillum laudasse, quod senticosa illa soppismata, Philosophiaæ que majestate prorsus indigna, & secundissimis hujus disciplina campis evulserit. Altera, quam tibi sistimus, epistola Compendio doctrina spiritualis Fr. Bartholomæi a martyribus, archi-episcopi Bracharensis, Ludovici cura edito, præmissa est. Accedit præfatio, quæ in Mediolanensi concionum auctoris nostri editione legitur; in qua videre est, tanti has conciones piissimum æque ac doctissimum præfulem Carolum Borromæum fecisse, ut & illis plurimum usus fuerit, & decreto sanxerit, ut, qui concionandi munus sustinere voluerint, eas sibi compararent. Et hæc sunt, quæ tua scire, meaque præfari intererat. Unum restat, lector, quicumque demum sis, quod te maxime oratum volumus: nimirum, si quæ alia Latina Granatensis monimenta, præter *Silvam locorum*, *Collectanea moralis Philosophia*, & a nobis publicata, ad manus tuas pervenerint, ea nobiscum communicare ne graveris. Quod si facies, magnam apud me gratiam obtinebis, tuamque humanitatem publico testimonio testaram factiam. Vale. Valentia Hedet. X. Cal. Aug. A. a C.N. ccccclxxviii.

F.

gnis ac celebris Vallisoletani cœnobii S. Paulli filius, Philosophus ac Theologus excellens, de quo M. Fr. Franciscus a Victoria, Theologorum princeps sui temporis in Hispania, frequentius dicebat: *Fr. Didacus Astudillus doctior me est.*

Fr. Johannes a Cruce in *Coronica de la Orden de Predicadores*, etc. Lib. V. cap. XVII. fol. 245. a. ubi de Astudillo agit: „Fue sin duda (inquit) de grande juicio, i de admirable memoria, i doctissimo en la Theologia Escolastica, segun mostrava copiosamente, quando presidia en disputas i actos públicos, en que tuvo singular gracia, i fue unico en su

tiempo. Donde no menos se mos- „trava mui leido i exercitado en „Sagrada Escritura, i Concilios, i Sagrados Canones. Pero su esti- „lo de leer i escrevir no fue po- „lido ni adornado de la eloquen- „cia, que lo poco haze parecer „mucho: como por el contrario „la grande sciencia no luze tanto „quanto es, por la rudeza del el- „tilo, con que se enseña. Ca sien- „do su doctrina nervosa i copio- „sa, su lengua Latina era barbara, „mas aun de lo que usava entre „los Escolasticos de su tiempo. Por „lo qual solia decir Frai Francisco „de Victoria: *El Maestro Astudillo mas sabe que yo, pero no lo sabe vender tan bien como yo.*”

F. LUDOVICI GRANATENSIS

Epistola ad lectorem, ad calcem operis Fr. Didaci ab Astudillo, cui titulus: *Quæstiones super octo libros Physicorum, & duos de Generatione, Aristotelis.* Vallisoleti 1532. fol.

Fr. Ludovicus Granatensis lectori candido S.

HABES jam, candide lector, plurimum colendi P. Didaci (a) Astudillo, sacræ Theol. Prof. opus eruditissimum, diu sane a nobis exspectatum, & longa quidem exspectatione dignissimum. Ea enim ejus operis dignitas est, ut pro ipsius merito & omnis justa sit exspectatio, & laus item omnis inferior. Quamvis autem, juxta Salomonem, (b) non possit novum aliquid fieri, quod factum ante non sit; neque dici quidquam, quod non sit a prioribus adinventum: ipsa tamen ratione formaque dicendi, & multa posse fieri, quæ facta non sint, & multa quoque dici, quæ prius dicta non fuerint, vel hujus operis argumento satis abunde monstratur. Ea namque præcipiendi ratio doctori nostro penitus servata est, ut in philosophicis, quantum ego sentio, litteris nulla possit inveniri neque servari commodior; tantumque abest, ut in hoc docendi genere possit ab aliquo superari, ut ne sibi quidem sui spem reliquam fecerit superandi: adeo numeris omnibus absoluta cuncta, quæ præcipi debuere, composuit. Ceteros ferme hujus disciplinæ scriptores, qui laudis tamen aliquid in hoc genere promeruerint, una virtus aliqua potissimum commendare solet. Alios quidem brevitas, alios perspicuitas, summum in oratione decus, exornat. Quidam auctoritate, quæ plus interim rebus ipsis vallet; quidam vetustate, quæ tot annorum scilicet opinione con-

Tom. III. Aa 3

(a) Jacobi legitur in editione dose.

Vallisoletana anni 1532. Men-

|

(b) Eccles. cap. I. v. 10.

Sensuque firmata est, habentur insignes. In aliis ingenii, in nonnullis etiam præstantissimorum auctorum vestigiis institisse, pulcherrimum judicamus. Denique in singulis præcipui habentur omnes: nulli, quibus præclare omnia cesserint, proferentur. Neque enim quidquam est, ut eleganter poëta cecinit, (a) ex omni parte beatum, & longe difficillimum est, invenire aliquid, quod undique placeat, & in quo nihil desiderari possit. At hunc nostrum auctorem, quamvis uni omnia tribui natura non sinit, ita & exornat brevitas, & perspicuitas commendat, & ceteræ, ut in summa dicam, bene docendi virtutes illustrant, ut perinde omni virtutum genere præcessisse videatur, atque singulis dumtaxat alii mirifice valuerunt. Quem huic claritate luceque orationis anteferas, qui non modo quæstiones physicas, verum etiam textum ipsum philosophicum, doctis etiam studiosisque hominibus difficillimum, ea perspicuitate donavit, ut docti jam sine labore aliquo, indocti vero hebetesque, quibus hactenus tantus ille vir ignotus erat, mediocri saltem cura studioque facilem complecti possint? Quis hoc uno sit brevior, qui non modo senticosa illa sophismata, Philosophiaque majestate prorsus indigna, & secundissimus hujus disciplinæ campis evulsi, verum etiam quæstiones physicas simul cum Aristotelico textu ea ferme voluminis magnitudine conclusit, qua vix alii quæstiones solummodo tenuiter atque jejune tradiderunt? Quis hunc auctoritate rerum præcedat, qui Peripateticorum omnium præstantissimum D. Thomam Aquinatem, omnis Latii, omnisque Philosophia decus amplissimum, cujusque divina lectio, ut Fabii verbis utar, non Scholarum temporibus, sed vitæ spatio terminatur, ita in hoc plane opere consequitur, ut nulla quidem in re ab ipso latum unguem discedere videatur? Sed quid ego ineptus virtutes omnes arctissima oratione, resque dignissimas jejuno sermone complecti cupio? Quando & periculum videtur esse, ne laudes tantas ingenii culpa dejiciam; & supervacuum, temere inania verba jactare, ubi firma rerum testimonia profertur. Licet itaque nostrum hoc opus, erudite lector, inspirere, licet diligenter evolvere, licet exactissima trutina veluti ad lanceam appendere omnia: quæ procul dubio justif-

si-

(a) Horat. Carm. lib. II. od. | XV. v. 27.

simis librata esse ponderibus, æquus modo sis arbiter, judicabis. Hoc eterum polliceri non veremur, candidum quæ in hoc opere visuntur, omnia, nulla nigrum esse calculum susceptra, si modo tamē hic judicem habeamus, qualem suis quisque lucubrationibus adhiberi cupiat. Verum de his hactenus. Illud sane prætereundum non est, duo esse in hoc opere, quæ te, lector humanissime, non nihil commovere possint, in quibusque candoris tui aliquid vel desiderare vel implorare cogimur. Alterum, corrupta locis aliquot germana lectio; alterum, stilius ipse dictioque non admodum elaborata. Illud cum eloquentissimis viris, hoc cum gravissimis commune est. Quare si neque te ab illis perversa lectio, neque ab his licentior umquam revocabit oratio, non est profecto, cur ab hoc nostro deterri debas aliquando. Præsertim quum illud tribus tantum prioribus physicorum libris, cuiusdam desidia correctoris, obtigerit, cetera enim longe castigatiora traduntur: hoc fortasse dedita opera sit factum, ne scilicet obscuritati rerum, obscuritas item sermonis adderetur, quorum vel altero tantum sæpe rudes incipientium animi deterri frangique solent. Quare juste medius fidius huic licentia, si licentia tamen ac non potius libertas æqua dicenda est, Græco illo proverbio venia conceditur. Id vero est, ut verbum verbo e Græcis Latina reddam: *Quantumvis rudiū dicitō, modo clariū.* Evidem res hic pulcherrimæ clarissima eademque rudi oratione traduntur. Num id igitur minus esse grata debent? Si suis destitutæ frondibus nascerentur arbores, num minus hoc earum fructus decerpisse libeat? Si electra nitidæque gemmæ Samiis, quod ajunt, non aureis vasculis offrantur; num id, quæro, minoris æstimari debeant, quæ, quo sunt natura præstantiores, hoc minus honore alieno, atque, ut ita dicam, furtivo, egent? Profecto in naturam ipsam peccare videntur, qui faciem alioqui venustissimam adsciticiis peregrinisque fucis meliorem reddere conantur, & parum virtuti rerum confidunt, qui summa cura ornatum ipsis aliunde querunt. Sed jam hac de re, quando non admodum obscura est, finem dicendi faciam, teque interim, amice lector, admoneam, cetera in reliquam philosophia partem commentaria, quo sit munus hoc nostrum perfectius, & in communem studiorum utilitatem